

tionum medietatem in Regno suo Sclovoniae, juxta ipsorum consuetudinem, semper et usque ad haec tempora observatam, exigere habeat et teneatur.

De salium Cameris in Regno Sclovoniae.

A r t i c u l u s 3.

Camerae salium in illo Regno fiant, prout tempore quondam Divi SIGISMUNDI Regis, ubicunque necessarium fuerit: Fiant tamen secundum hoc; ut etiam dispositum est in Ungaria.

Camerarii salis Regii, in domibus incolarum, sales non possunt quaerere.

A r t i c u l u s 4.

Quod Camerarii, in domibus incolarum, sales quaerere non valeant, sed si eosdem in campo, aut foris, vel in nundinis invenire poterint; eosdem auferendi liberam habeant facultatem.

§. 1. Quaerant tamen, sed sine calunnia, et coram Judicibus Nobilium illius Comitatus.

§. 2. Particulas, seu minutas salium, auferre non valeant.

Sales Regios et maritimos, pro frugibus commutare possint.

A r t i c u l u s 5.

Sales quarumcunque Camerarum Regalium, tam qui ducuntur navibus, quam curribus, ac etiam maritimi, quos scilicet maritimos sales pauperes illius Regni, propter eorum inopiam et pecuniarum defectum, solent pro bladis permutare; libere emere, vendere, et eisdem uti possint.

§. 1. De quibus maritimis salibus, Tricesimae Majestatis Regiae proveniunt, ita; si sales Regales deficerent, et Camerarius Regnicolis sales dare nequiret, et non aliter.

Vina, blada, animaliaque, solutis Tricesimis, e Regno educere possint et vendere.

A r t i c u l u s 6.

Vina, blada, et animalia, cujuscunque generis, persolutis Tricesimis, ac tributis justis et consuetis, quo volunt et poterunt, libere abigere et vendere possint.

Tricesimae, in locis antiquis, more veteri exigantur: De minutis autem rebus, infra valorem unius floreni, non exigantur.

A r t i c u l u s 7.

Tricesimae exigantur, juxta antiquam consuetudinem, sicuti temporibus Dominorum LUDOVICI, SIGISMUNDI et ALBERTI Regum, in locis alias consuetis.

§. 1. De minutis autem rebus, infra valorem unius floreni, Tricesimatores nullam Tricesimam exigere praesumant.